

anea unius legis cum alia, vel *Solitaria* cujuslibet pro se. *Simultanea* est quando vel *Series Legum* ostenditur vel *Summa*, vel *Paratitla* conficiuntur. *Series Legum* haberi non potest nisi, habita *serie titulorum*: *Series titulorum* à multis adumbrata est in suis *Oecono-*miis Iuris, ut à *Wesembecio & Giphanio*, *Tabellis* usus est *Wilhelmus Schmuc-**cus* in nervosa *Synopsi Iuris Civilis & Canonici*, cum cæteri plerique posterius neglexerint. Ex recentioribus laudantur tum tabulæ *CL. Viri Ioh. Otto-**nis Thaboris*, tum *series Titulorum Iu-**ris Civilis* inserta egregio *Manuali Iac. Gothofredi*, ubi ille plurimos nodos ex *historia & Edicti perpetui* ordine dissolvit. *Series Legum* cujuslibet tituli in *Di-**gestis & Decreto* ad certam aliquam ex re sumtam rationem, atque ita ad tabulas reduci potest, quod non patiuntur *Codex & Decretales*, in quibus temporum ordine *Rescripta* locantur. Sed nec illic quisquam huc processit, ut ipsas

E 6 leges